



1.  
1.  
2.  
31  
36  
44  
5.  
6  
7.

8573

*de Prolationibus*

PROGRAMMA  
QVO

JOH. JOACHIM. Schöpffer/

1704 5.  
7/

J.U.D. ET PROF. COM. PALAT. CÆS. CONSIST. DUG.  
CONSILIARIUS ET FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS

SUO ET AMPLISS. FACULTAT. NOMINE  
AD

DISPUTATIONEM INAUGURALEM  
JOHANNIS CHRISTOPHORI  
ATTELMEYERI,

REIPUBL. ROSTOCHIENSIS CAMERÆ-SECRETARI  
DE

REPROBATIONE

DIE V. JUNII AO. MDCCIV. HORIS ATQVE LOCO  
CONSVETIS HABENDAM

MAGNIFICUM ACADEMIÆ RECTOREM, PROCE-  
RES REGIMINIS MAXIME ILLUSTRES, ACADEMIÆ PATRES CON-  
SCRIPTOS, AMPLISSIMUM URBIS SENATUM, OMNESq;  
RELIQVOS ACADEMIÆ FAUTORES ET  
CIVES

EA, QVA PAR EST OBSERVANTIA, ET HUMANITATE  
INVITAT.

Rostoehl, Typis Joh. Wepplingii, SER. PRINC. & Acad. Typogr.



Robationis favor, in jure maxi-  
mus est, cum veritatem detegat,  
sine quâ acutissimi quoque Iudicis  
judicium errat. Veritas vero ma-  
ter est justitiæ, ideoque diligenter  
investiganda, & maximopere di-  
ligenda, cui omnia cedunt, cujus-  
que robore nihil est fortius Esdræ  
*lib. 3. cap. 4. v. 36.* Equidem veri-  
tas in se satis est certa, licet quoad

homines sit incerta, §. *Conusiones 6. 7. d. Verb. Oblig.* In  
judicio tamen illa tantum attenditur veritas, quæ ju-  
dici legitimo demonstratur modo, hinc facti contro-  
versi, & ab adversario negati probationem illi injun-  
git iudex, qui se in veritate facti fundat, & si in proba-  
tione deficiat, causâ suâ cadit, licet in se esset justissima  
atque verissima *l. Duo sunt 30. ff. d. testem. tutel. sibi: non jus  
deficit, sed probatio.* Hinc Baldus voluit: probatio-  
nem principaliter respicere publicam utilitatem, Jalon  
vero docuit: probationem minus principaliter publicam  
concernere utilitatem, tradente Pacian. *Tr. d. Probati.  
Lib. 1. cap. 5. n. 20.* Neutra vero opinio veritati adversatur,  
si enim negotium primario rempublicam respiciat, ut  
crimen perduellionis, finium imperii confusio &c. pri-  
mario quoque interest reipublicæ veritatem probati-  
one demonstrari. Si vero lis sit de testamenti validitate,  
de rationibus tutorum dispungendis, de debito ex  
contractu solvendo, de injuriis contra privatum eje-  
ctis, secundario reipubl. interest veritatem probari,  
quatenus scil. reipubl. interest justitiam in republicâ  
administrari & suum tribui cuique. Quæ cum ita sint,  
facile mihi calculum quis adjiciat, si probem; judicem  
omni

465  
omni tempore promptum & facilem se exhibere teneri,  
ad testes oblatos recipiendos & examinandos, quo ante  
sententiam definitivam certus sit de veritate, nec à Ju-  
stitiæ tramite recedat, in ore enim duorum vel trium  
testium consistit omnis veritas. Adeoque via per testes  
probandi amplianda, non restringenda l. *Testium* 3. §. 2.  
ibique Dd. ff. d. *Testib.* Ut ut vero reipublicæ maximè  
interfit veritatem in judiciis demonstrari, non minus  
tamen reipubl. interest, omnia in judicio fieri justo or-  
dine, litesque & minui, & citius ad finem perduci  
l. *properandum* 13. pr. C. d. *judic.* Hinc certi probationum  
termini constituti sunt, intra quos probatio perficienda,  
quos terminos si pars probatura non observavit, postea  
regulariter non est audienda, licet adhuc parata sit veri-  
tatem ostendere atque probare. Si enim sua culpâ passâ sit  
terminum ei præscriptum, sine probatione, elabi, probati-  
oni renunciasse censetur, ad jura renunciata vero regu-  
lariter non datur regressus, sed damnum si quod sua  
culpa sentiat, sentire non creditur l. *Quod quis* 203. ff. d.  
*Reg. Jur.* Hinc probationum terminus peremptorius di-  
citur l. *fin. ff. d. ferius* l. 1. C. d. *dilat.* Quo præterlapso, nul-  
la amplius admittitur probatio l. *Scire* 13. §. *Consequens*  
4. ff. d. *Excusat.* Minime ergo tuta erit sententia Fabri in C.  
*Lib. 7. tit. 15. def. 3. n. 8.* tradentis: semper facti veritatem  
attendi debere potius, quam formam procedendi. Facti  
enim veritas & modus procedendi, firmissimis connexi  
sunt vinculis, & veritas sine forma procedendi, omnem in  
judicio perdit effectum. Hinc optima causa perdi potest,  
non ritè formato processu, & ex adverso pessima causa  
obtineri potest, legitima judicii formâ observatâ, tra-  
dente Herold. *ad Langii proc. Civ. & Sax. in introd. n. 6.*  
Stryck. *in introd. ad prax. Cap. 1. §. 3.* Cum vero proba-  
tionum termini peremptorii sint, caute cum iis proce-  
dendum

dendum, nec termini probationum dicendi vel fiogendi sunt, quando nec lex, nec iudex certum terminum probationi præscripsit. Tale quid apparet in *termino reprobatorio*, seu termino, intra quem reus, vel productus jus suum probare debet, cum enim de jure communi Romano, nullum certum tempus reo vel producto sit præscriptum, intra quod sua probanda sit defensio, merito arbitrio iudicis relinquendum, quale tempus reprobationi determinare velit. Quod si à iudice determinatum sit, terminus reprobatorius æquæ ac probatorius peremptorius erit. Cum vero circa reprobationis materiam varia in praxi occurrant dubia, constituit *Vir Nobilissimus Consultiss. atque Doctissimus Dominus JOHANNES CHRISTOPH. ATTELMAYER/ Vratislav. REIPUBL. ROSTOCHIENSIS CAMERÆ SECRETARIUS FIDELISSIMUS*, DE REPROBATIONE theses quasdam conscribere, & loco publici & solennis speciminis eruditorum examini submittere.

In lucem autem hic Nobilissimus *Candidatus* noster editus est d. 16. Jun. 1677. Vratislaviæ in Silesia. Patre gloriatur CAROLO FRIDERICO ATTELMAYER/ *Cive & Mercatore Vratislaviensi primario, atque templi & Xenodochii ad undecim millia Virginum dicti Præsidi, aliorumque publicorum officiorum Præsido*. Matrem exosculatus est MARIAM, JOHANNIS CHRISTOPH. ROTTENBERGERI *Civis & Mercatoris Vratislav. filiam*, Avum paternum nactus est GAROLUM de ATTELMAYER/ *Senatorem Reipublice Vratislaviensis*. Aviam paternam nomen tuit: MARIA, nata HEUSLERIA, quæ post obitum prioris conjugis CAROLI de ATTELMAEYERI, nupsit BLASIO de SPEJSENBERS/ *Senatori Vratislaviensi*. Avia materna

materna fuit CLARA, nata LUTHERIA, quæ post obitum prioris conjugis, secundum foedus conjugale inilit, cum DN. GEORGIO NAVARRA *Cive & Mercatoris re primario*, adhuc Vratislaviæ, per Dei gratiam, superstitite. De reliquis perantiquæ Attelmeyerianæ familiæ Ascendentibus testatur originale Diploma Imperatoris RUDOLPHI II. gloriosissimæ memoriæ, quod Attelmeyerianis & omnibus eorum descendentibus d. 12. Junii Ao. 1578. clementissime concessit. In quo inter alia privilegia, capaces quoque sunt declarati omnium & Ecclesiasticorum & secularium feudorum. His majoribus natus *nosfer Capidatus*, qui eum ab incunabulis, veræ pietatis præceptis ac primis literarum elementis delicate instruxerunt. Donec eum Gymnasio Elisabethano committerent, in quo per tredecim annos, humanioribus sedulam præstitit operam, junctis simul fundamentis veræ Philolophiæ. Inprimis grata mente ac recordatione veneratur fidelissimam *Informationem* DN. MARTINI HANCKII, Scholarum August. Confess. Inspectoris & Gymnasii Elisabethani Rectoris & Professoris longe Celebrerrimi, atque post obitum patris desideratissimi, per biennium hospitis beneficentissimi. Multumque se debere profitetur fidelissimæ manuuctioni DN. SOZ. ROB KRAZII, Histor. & Eloquentiæ Professoris gravissimi, ut & Bibliothecarii Vigilantissimi. A quibus non sine encomio *nosfer* dimissus est ad Academias. Quo vero magis præparatus Academiam institueret vitam, jam Vratislaviæ Virum Excellentissimum atque Consultissimum DN. JOHANNEM ANTONIUM WALTHERUM J. U. D. & Practicum felicissimum, amicum etiam nostrum omni honoris

707

708

noris cultu prosequendum, & legentem & examinan-  
tem audivit. Cum vero studiorum causa abesse cogere-  
retur prælaudato DN. DOCTORI WALTHERO,  
ejusq; Patri, Viro Prænobilissimo atq; Consulitissimo DN.  
CASPARO ANTONIO WALTHERO, Cameræ  
Vratislaviensis Procuratori, & Advocato gravissimo, res  
suas administrandas commisit, quorum saluberrima  
& fidelissima consilia, ætatem grata agnosceret mente.  
Cum vero Invidiosissimus Rex Romanorum JOSEPHUS  
Viennæ nuptiarum solennia, circa id tempus, celebra-  
ret, iter Viennam direxit, ut nuptiarum pompam alia-  
que Aulæ, atque civitatis splendidiora lustraret, Quo  
itinere feliciter confecto, Lipsiam se contulit. Famâ  
vero excellentissimorum Jctorum Hallensium allectus,  
paulo post Halam transit, ubi attenta aure ac mente au-  
divit virum illustrem ac verè excellentem DN. SAMU-  
ELEM STRYKIUM Jctum Consummatissimum,  
(nostrumque olim Francofurti Præceptorem, ætatem  
devenandum) in collegio Instit. bis ad Digesta, ad jus  
feudale, jus Ecclesiasticum Brunnemanni, & Capitu-  
lationem Josephi. Excellentissimi DN. CHRISTIA-  
NI THOMASII, vero collegia privatissima, ad in-  
tegrum juris cursum frequentavit, & Excellentissimo  
DN. BUDDÆO, ad Grotium enucleatum auscul-  
tavit. Depredicat quoque fidelissimam operam excel-  
lentissimi filii, excellentioris patris DOMINI JO-  
HANNIS SAMUELIS STRYKII, amici nostri  
omni honoris cultu prosequendi, quam exhibuit *nostro*  
in collegio institutionum & lectorio & examinatorio.  
In disputando secutus & excellentiss. DN. BUDDÆ-  
UM, & DN. GOETSCHIUM. Et sic integrum tri-  
ennium, maximâ cum laude, Halæ Saxonum transe-  
git.



939  
git. Ex hac, non sine felici omine, & consilio Viri  
Generosissimi & Prænobilissimi DN. CAROLI  
FRIDERICI de REUSS Domini Hereditarii in Ja-  
cobsdorf. & Gustendorf. affinis sui honoratissimi, qui  
vestigia Viri excellentissimi atque experientissimi DN.  
CAROLI FRIDERICI LUTHERI, Med. Docto-  
ris ut & Matheseos Professoris Kiloniensis celeberrimi  
& GEORGII CHRISTIANI LUTHERI, J. U.  
Cand. & practici felicissimi, affinium nostri Candidati  
honoratissimorum, imitanda monstrabat. Dicto hujus  
generosissimi viri assurgens *noster* Rostochium venit, &  
in hoc Roseto, me moderante, & collegium ad Struvii  
Jurisprudentiam, & ad Strykii introductionem ad pra-  
xin, feliciter absolvit. Excellentissimi atque consul-  
tissimi DN. D. STEINII J. U. D. & Professoris  
celeberrimi, collegæ nostri honoratissimi atque conjun-  
ctissimi, informatione fidelissimâ beatus fuit, in collegio  
lectorio & examinatorio ad ff. & sub ejus Præsidio, in  
Schnobelii exercitat. De Jurisdictione, non sine lau-  
de, publicè disputavit. Et Excellent. DN. D. SCAPE-  
RI Medicinæ Professoris longe experientissimi, Fau-  
toris, Collegæ & Compatriis nostri conjunctissimi, col-  
legium curiosum experimentale, maxima cum animi  
recreatione, frequentavit. Ex tot tantisque collegiis  
non potuit non Candidatus noster, insignem juris the-  
saurum sibi acquirere. Quo vero certior redderetur,  
quid humeri ferre possent, quicquid recuserent, facultati  
juridicæ nomen modeste dedit, & humanissimè petiit, ut  
ad consveta admitteretur examina. Cui honestissimo  
petito facultas amplissima non potuit non, benignissimè  
deferre. Admissus ergo in rigoroso, ut vocant, exa-  
mine, talem se facultati præstitit, qui jure suo aditum  
ad

ad summos juris honores expetere possit. Præterea  
 haud vulgarem comitantur eruditionem, singularis ani-  
 mi modestia & inserviendi cuivis bono promptitudo,  
 quæ virtutes patribus Reipl. Rostochiensis adeo fuerunt  
 acceptæ, ut Candidatum nostrum Secretariatus in Ca-  
 mera officium deferrent. Cum vero aliquando Schotte-  
 lii in *Tr. d. jur. Germ. singul. cap. 1. n. 9.* verba sequentia le-  
 geret? So wird dennoch ein solcher Hagesstolt selänger/  
 je mehr verdächtigt / gehässig und veracht / und gar  
 selten zu Ehrenstellen und vornehmen Amts - Bedie-  
 nungen befodert. Mature huic malo medelam quæsi-  
 vit, ne cœlibatus ei iter ad majores præcluderet hono-  
 res & Virgini formosissimæ omniq; virtutum genere  
 decoratissimæ ANNÆ DOROTHEÆ STEVERIÆ  
 Nobilissimi atque consultissimi DN. JOHANNIS  
 CASPARI STEVERI Statuum provincialium Secre-  
 tarii longe meritisimi, filia natu majori, fidem de futuro  
 matrimonio dedit, & sic noster & juris & matrimonii *Cand-*  
*didatus* audit. Officio vero veri Candidati satisfactorius,  
 dissertationem haud vulgarem, de REPROBATIONE  
 conscripsit, quam die 5. Jun. publico eruditorum subjiciet  
 examini. Quem actum ut Magnificus Dn. Rector, illu-  
 stris Regiminis proceres excellentissimi, utriusq; reipubl.  
 patres conscripti, omnesq; literatorum fautores & ami-  
 ci, tua illustrent præsentia, meo & facultatis Juridicæ  
 nomine, eâ qua par est humanitate & ob-  
 servantia, invito.

P. P. d. 25. Maji 1704. sub Sigillo  
 Facultatis Juridicæ Rostochiensis.



Rostock, Diss., 1704-05

ULB Halle 3  
004 505 76X



Sb.

f







Farbkarte #13

B.I.G.

*tionibus*

RAMMA

IM. Schöpffer/

AT. CÆS. CONSIST. DUG.  
CULTATIS JURIDICÆ

ACULTAT. NOMINE

INAUGURALEM  
RISTOPHORI  
MEYERI,

CAMERÆ - SECRETARI

O B A -  
NE

HORIS AT QVE LOCO  
BENDAM

RECTOREM, PROCE.  
ES, ACADEMIÆ PATRES CON-  
NIS SENATUM, OMNESq;  
FAUTORES ET

NTIA, ET HUMANITATE

R. PRINC. & Acad. Typogr.

1704 5  
7

